DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ, ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS XXIII. MARTII.

M. FRANCISCO GVENAVT, Doctore Medico Præside.

An inflicto externis partibus magno vulneri internarum succedit abscessus. 1053

VVLNVS partis, quæ telum recepit, eximio vsu, aut eadem, qua diuisa est, fœdius dehiscente, magnum haberi solet; graue verò & dubio vitæ discrimine metuendum propter multiplices, qui subnascuntur affectus. Ferè enim luculentæ plagæ infinita vis & interminata est, neque angusto recentis vulneris sinu tam sese coërcet, quin vsque permanet ad alias partes, quæ cum vulnerata societate aliqua coniunctæ sunt. Verùm aliter aliæ partes afficiuntur, neque omnes à vulnere eosdem morbos rependunt. Internarum vt operis, sic morborum maior communitas, disiitas quoque & extrinsecus iacentes comprehendit sæpè fundi calamitas, aliàs contra, quicquid mali inclusum est foris intro remeantibus causis natum fuit. Neque enim inuisum & vsu medendi infrequens, externo corpori illato magno vulnere plurimos morbos intro refundi, atque huc inde regesta materie abscessum passa viscera conuersos laborantis naturæ motus testata sunt, qua quidem sauciatam partem diutius pertæsa, res noxiæ ibi subsistunt, aut eo recurrunt, vnde æquum erat procul abigi.

VIS omnis siue oblata, siue intestina generandi abscessus non leuis causa est. Hæc siquidem quouis ab humore ingruat, siue ille antea diffusus mox impetu facto in vnam partem sese receperit, siue sensim aceruatus accersita putredine efferuescat, par vtrobique & penè ineluctabilis abscessus necessitas dum intimam occupatæ partis molem distrahit humor diuellitque, & quæ laxiora ipse sibi fecit loca alienus implet. Quæ vero extrinsecus incidunt latè obtritis, & discissis partibus, præterquam si quid intus querelarum est & vitii, id ipsum renouant, hoc habet externa vis, vt animum percellat à corpore, susque deque agendis sanguine & spiritibus abditas partes subito infarctu obstruat, & temerario decubitu ita prægrauet, vt vix demum in illis liberè emicante calore, ipso penè sub ictu, & viris crudo marte calentibus, prima sæpè duxerit abscessus rudimenta, quæ solemnibus vulneratorum symptomatis, dolore, insomnia, febre, suppurato prouecta & amplificata consummat fractæ & vlceris fœditate & longinquitate fatiscentis naturæ imbecillitas: sed multo magis propter eas quas indidem aptas & suspensas habet sanies liberaliter aut secus effluendi rationes. Nam siue intro illa recurrat, siue eo visa ab vlcere refluxisse, quia interius substiterit & vulneris atque ægrotantis pro ratione & modo parcius effluat, certo abscessum in internis partibus paritura est.

EXTERNARVM partium amplo ex vulnere internarum abscessui gignendo & augendo multum conferunt illarum mutuæ accipiendi & reddendi humoris vices, quæ nusquam manifestius, quàm in vulneratis, declarantur infensa vi siue imminente siue hostili iam mandata manu. Quam variè distrahitur animus, tam vario impetu & tam multiplicem interioris corporis in cladem fertur referturque sanguis, tantaque illius turba quocumque pacto consederit, acrius diuque iactatus sanguis, & concidente æstu etiamnum præferuidus vasis vix contineri potest, ille adeo venarum claustra cum effregerit, aut eumdem vberius arterijs effundentibus, nam ita à natura & instantis affectus casu comparatæ sunt, si quam in partem confluat & incidat haud ignaua eo spargit abscessuræ putredinis semina, quibus sensim viscerum aliquo in secessu adultis, & altera vtriusque partis labe ab altera augescente, iustum capessit abscessus incrementum. Interim obligatur vulnus, & quæ prima debentur sauciæ parti, adhibentur remedia, quibus ex voto atque ex arte succedentibus, nihilo magis securo esse medico liceat. Etenim immatura inter sanitatis gaudia incauto ægro febris obrepit initio leuior, demum verò eadem circuitus multiplicante & instabilis horroris frequenti accessu & recessu aliisque latentis abscessus signis inclusa splendescit putredo, & sæpè plusquam vno viscere contenta, quæ nunquam eo progressura fuisset, nisi accepta extrinsecus plaga conceptum viscerum virus accendisset. Internis enim partibus multifariam infesta est externæ parti inflicti vis vulneris, vlceris cruciatu suppresso vel refluente tabo nonnunquam malignæ auræ afflatu. Quin ipsa vulneratæ partis imbecillitas interni abscessus plurimis causa fuit vulnere etiam cicatrice obducto.

ABSCESSVS ex omni humore fit, qui ab omni parte in omnem corriuatur; nam præter conspicuos sensibus ductus vias natura inuenit innumeras vltro citroque deferendis humoribus patentes, quibus extremi corporis ora relicta abditiorem in sedem sese vindicant. Ergo siue denuò succensa pars reuolutum humorem resorbeat, siue ipse cæco æstu retro rapidus feratur, quàm in angina, pleuritide, erysipelate, & congeneribus morbis, tam in magno externarum partium vulnere facilis & funesta palindrome. Tunc depressa arescentis vulneris labia aut aliquando præproperam cicatricem ducentia humorem alio deflexisse significant. Ille verò parti, quamcumque afflixerit, certam cum abscessu perniciem intentat; quam prudens medicus cum misso sanguine catharticis mitioribus, nonnumquam mochlicis, declinare iubet, satis innuit quantùm abscessui generando externæ partes aduersus internas valeant.

PLVRIMI à magno vulnere oriuntur morbi, & diuersa ratione sibi inuicem succedentes, alii statim ab ipso vulnere latiùs manant, & congenerum ac vicinarum partium propriis stipati symptomatis inclinatæ naturæ incumbunt: sic cerebro altius imposito vulnere numerosa grauiorum Symptomatum soboles erumpit, quæ cita morte ægros opprimit, leuiores eiusdem partis plagæ accipiuntur pari nonnunquam exitio, inferarum verò partium abscessu plerumque funestæ sunt. Alij morbi vt vulneris magnitudini succedanei, sic propter partis ignobilitatem lentiùs sæuiunt, & occulto transfusa labe semotas partes attingunt ita, vt systrophicos in illis affectus pariant & abscessuum genus omne. His verò morbis progignendis atque propagandis præstat externarum partium plaga, cuius vis, tametsi idem non potest apud omnes, tamen idoneam complexa ægri naturam & consentientem abditæ alicuius partis intemperiem, tantùm valet commouendo aut intro conuertendo humori, excitanda quæ latebat ante aut quæ iam inchoata erat consummanda putredine, vt quicquid labis ex proprio aut alieno errore internæ partes contraxerint, in pus & abscessum facessere necesse sit.

 493

Ergo inflicto externis partibus magno vulneri internarum succedit abscessus.

Proponebat Lutetiæ FRANCISCVS BOVIONIER Parisinus A.R.S.H. M. DC. LVI.